

















1682. 1<sup>a</sup> Kirschmayer, Georg Carp: De Angliae regis quæ-  
sitionibus ac moribus.

1. Leiser, Wilhelm: De contractibus, qui in scriptis  
fiunt.

2. Leyser, Wilhelm: De jure protimisees, quod  
dominus feudi competit.

3. Leyser, Wilhelm: De injuriis.

4. Martini, Werner Theodor: Dissertatio juridica  
de Constitutionibus Electorales - Dni Augusti electoris  
historiam et originem tractans.

5. Naevius, Joh. Carol.: De arresto Saxonico. 2 9 exempl.

6. Naevius, Joh. Carol.: De redditibus annuis vitalibus  
et prebendis canonicorum.

7. Naevius, Joh. Carol.: De favore pice Cause.

8<sup>a. b.</sup> Naevius, Joh. Carol.: De nuptiis. 2 5 exempl.

9. Naevius, Joh. Carol.: De jure thesaurorum.

10. Schurzflischer, Kon. Sam.: Furtivum orthodoxum  
... asseret.

11. Strauss, Godtfredus: Jura hereditatis jacenti.

12. Zeyler, Karpus: De renovatione investituræ  
feudalis.



1682.

13. Ziegler, Konrad: Eclogarum juris dicarum. Lana  
satura.

14<sup>a</sup> b. Ziegler, Konrad: De testamentis tempore peritis  
Privilegiato. 2 Exempl.

15. Ziegler, Konrad: De praescriptione feudali.

16. Ziegler, Konrad: De jure dispensandi.

1683.

1. a. b. Heber, Georg Mich: De fontibus eorumq. Auctoritas.  
2 Exempl.

2. Heber, Georg Mich: De cambio.

3. Heber, Georg Mich: [De] quadriga.

4. Heinius, Christianus: Fura asylosum modernorum  
apud Christianos.

5. Hepperlein, Florian: Historiam artis scriptoriae  
... publice defendit.

6. Lysar, Wilhelm: De quorundam jurium obitu  
singulari.

7. Martini, Werner Theod: De sumptibus pietatis curae  
factis.



1683.

8. Martin, Werner Theodor : De agriculturalis.

9. Martin, Werner Theodor :

9. Martin, Werner Theodor : Dissertationis juridicae V.

ad Constitutiones Elect. Sici Augusti De probatione,  
quae fit per instrumenta, simplicem probationem  
et praesumptionibus

10. Meier, Adam Erdmann : De usuris.

11. Meier, Joh. Carol : De parricidio et infanti-  
cidio 2<sup>ae</sup> Imp. 1685: 1731.

12. Meier, Joh. Carol : Fura emti et venditi.

13. Pompejus, Christ. Aug : Modos probandi filiationem

13<sup>b</sup> ~~publione disquisitioni exponit.~~  
~~Pompejus, Christ. Aug : Modos probandi filiationem.~~

14. Pompejus, Christ. Aug : Disputatio juridica ad

divisionem Electoral. Saxonie. LXVI.

15. Pompejus, Christ. Aug : De jure circa futura.

16. Rotense, Christ. Aug : De obsidionibus.

17. Rivelus, Joh. Frid. : Optico - Astronomica, quae

eruntur lucem omnem Lunae a Sole, eandemque

corpus ipsam propter et obscurum esse.



1683.

18. Schurzfleischer, Herr. Samuel: Ex argumentis  
historiam complectentibus.
19. Liberus, Christianus Ludov.: De Asiarum ad  
Act. Ap. c. XIX. v. 31.
20. Straus, Godofr.: De jurisdictione bursa.
21. Straus, Godofr.: Disputatio inang. controversias  
quasdam ... circa inducias moratorias exhibens.
22. Strauss, Godofr.: De jure arandi ob metum pestis 2 Exempl.
- 23<sup>a. b.</sup> Freyler, Karper: De stipendiis et stipendiariis  
2 Exempl.
24. Freyler, Karper: De remissione delinquentium  
et locum delicti.



1682 157.  
10  
Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
NUPTIIS,

Quam  
Divinâ auxiliante gratia

*Magnifici Actorum Ordinis consensu*

*in illustri ad Albim Academia*

SUB PRÆSIDIO

V. I. R. I

NOBILISSIMI atq; CONSULTISSIMI

DN. JOHANNIS CAROLI  
NÆVII,

J. U. D. Consistor. Eccles. Advocat. Ordinar. nec non Curia  
Provinc. Sax. Protonotarii &c:  
ventilandam proponit.

JOHANNES CHRISTIANUS

*Schönberg /*

Cur. Magdeb. Advoc. Ordin.

AUTOR

D. XXII. Februar. A. C. M. DC. LXXXII.

✻✻✻✻ : ✻✻✻✻ : ✻✻✻✻ : ✻✻✻✻ : ✻✻✻✻ : ✻✻✻✻ : ✻✻✻✻ : ✻✻✻✻ : ✻✻✻✻ : ✻✻✻✻

WITTEBERGÆ,

TYPIS AUGUSTI BRÜNINGII.



VIRIS

NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS atq; AMPLISSIMO

DN. JOHANNI HENRICO

Düresfelden /

Jcto excellenti, Seren: ac Potent: Elector.

Brandenb: Consiliario, Malli & Ambactiæ, quæ Germanicè  
die Möllen Voigten vocatur, apud Magdeburgenses  
Praefecto splendidissimo.

Dn. JOHANNI CONRADO

Brüchtigen / aliàs Schmidt / dicto,  
Jur. Utr. Cand. dudum meritisissimo & Reip. Magd. Advoc.  
Ordinario disertissimo.

Fratribus  
Germanis.

Dn. JOHAN: FRIEDERICO

Brüchtigen aliàs Schmidt dicto,  
Reip. Hallensis Actuario jurato undiquaque  
laudatissimo.

Dnn. suis Patronis, Fautoribus atq; Amicis singulariter co-  
lendis disputationem hanc in ulteriorem sui suorum-  
que studiorum commendationem sacram esse jubet

JOHANN CHRISTIAN Schönberg.





158.

In NOMINE DOMINI nostri JESU

CHRISTI ad omnia consilia, omnesque actus

semper progredimur. L. 2. in pr. C. de Offic.

*Pref. Prat. Afric.*

PROOEMIUM.

**N**uptiarum materia est utilis,  
necessaria & quotidiana, id-  
circò, quia quotidiana ple-  
nius sunt attingenda, operæ pre-  
tium duximus de hac materia age-  
re. Ut autem rectè & perspicuè no-  
stram disputationem ordinemus, &  
ne illotis, quod nefas, manibus, hæc  
sacra tractentur, ante omnia more  
Ictorum notationem nominis in-  
vestigabimus, quia præmissâ nomi-  
nis consideratione sæpè in ipsius rei  
feliciorum provehimur perceptio-  
nem, *inquit subtilissimus Scaliger.*

A 2

Etymo-



## Etymologia Nuptiarum.

**N**UPTIÆ itaq; à nubendo h. e. velando secundum *Svetonium in Neron. C. 28.* appellantur, quia velamine quodam induebatur Sponsa olim apud Romanos.

### Homonymia.

Et sumuntur vel *proprie* pro ritu & festivitate nuptiali *S. pen. f. de Nupt. Vel Improprè* pro matrimonio ipso *S. 1. f. de Patr. Potest.*

### Synonymia.

Vocantur alias (I) *MATRIMONIUM* d. §. 1. quasi matris onus, cum Mater plus oneris sustineat in procreatione sobolis, quàm Pater. Est enim *ante partum* onerosa, *in partu* dolorosa, *post partum* laboriosa. (II.) *CONJUGIUM* L. 21. C. de Nupt. à jungendo, quia mas & foemina simul junguntur. (III.) *CONNUBIUM* L. 45. §. 4. ff. de R. N. à nubendo, quòd mulier nupta velato capite incedere debeat, uti præcipit *Paulus 1. Cor. XI.* & (IV.) *CONSORTIUM MARITALE*, quòd Maritus & uxor judicentur ejusdem esse sortis & conditionis. *Vid. Wesenb. ad ff. de R. N. n. 1.*

### Definitio.

Sunt verò Nuptiæ sive matrimonium viri & mulieris conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens. *S. 1. f. de Patr. Potest.*

### Divisio.

Sciendum est nuptias dividi *primò* in *justas* s. *legitimas*, quæ jure non prohibente contrahuntur; Et in *injustas*, quæ jure prohibentur. Hæ iterum sunt vel *incestæ* & *nesariæ*, quæ



159.  
quæ inter Adscendentes & Descendentes in infinitum  
contrahuntur. L. 53. L. fin. ff. de R. N. §. 1. *J. de nupt: Vel inutiles*,  
quæ inter personas non quidem conjunctas sed aliàs con-  
jungi prohibitas contrahuntur. *arg. rubr. C. de incest. & inutili*  
*nupt.*

*Secundò* sunt vel *perfectæ*, quæ solò consensu sunt con-  
tractæ L. 30. ff. de R. *J. Vel consummatæ*, quando consensus  
**Christlichen Gebrauch nach durch Priesterliche Copu-**  
**lation & copulâ carnali est consummatus.** *Wesemb. ad ff. de*  
*R. N.* Atq; *istæ* sunt vel *publicæ*, quæ fiunt testibus præsen-  
tibus eisq; quos lex requirit, consentientibus, accedente  
in Ecclesia benedictione Sacerdotali. *c. 1. seq. caus. 30. q. 5. vel*  
**CLANDESTINÆ**, quæ nullis testibus præsentibus nec  
consentientibus, quorum interest & sine benedictione  
Ecclesiastica contrahuntur; Hujusmodi nuptiæ Jure Can:  
sunt prohibitæ *d. c. 1. seqq. caus. 30. quest. 5. & 6. 2. & 3. X de*  
*clandest despons.* item jure Saxon: ex sanctione manifestâ  
Electoralis in der Kirchen-Ordnung sub Tit: von Ehe-  
gelöbnis; und in der Churfl. S. Ehe-Ordnung de A.  
1624. punct. 1. §. Wo auch zwei Personen. vers. So soll  
dasselbe. *Tertio* sunt vel *primæ* ejus sc: qui in matrimonio  
nunquam fuit, nunc autem est; Vel *secundæ*, quæ primas se-  
quuntur. *t. t. C. de Secund. nupt.* Et hæ sunt vel *secundæ in specie*  
*dictæ*, vel *Uteriores*, tertiæ, quartæ &c:

### *Causa Efficiens Remota.*

C. E. R. est jus, idq;ve pro vario considerandi modo,  
tam divinum & Naturale, quam Gentium, Civile & Cano-  
nicum. *Ratione enim inclinationis & appetitûs* ad coitum brutis  
etiam animantibus communis matrimonium adscribitur  
*Juri Naturali. pr. J. de jure N. G. & C. L. 1. §. 3. ff. de J. & J.*

*Ratione institutionis est juris divini Gen. 1. vers. 27. seqq. & c. 2.*  
*vers. 22. Ratione Consensus, quem justa ratio svadet, uti & u-*

A 3

fus



sus ac prohibitionis matrimonii cum certis quibusdam personis est *juris Gentium. arg. L. 5. ff. de J. & J. L. 1. ff. de pact. l. 30. ff. de R. J. L. fin. ff. de R. N. Ratione variarum solemnitarum est juris Civilis & Canonici. t. t. J. ff. & C. de Nupt. t. t. X. de spons. & matr. caus. 27. 28. 29. & c.*

### *Causa Efficiens Propinqua.*

C. E. P. sunt ipsi Contrahentes, quatenus invicem inclinationem & consensum ad futurum matrimoniale negotium concipiunt & fovent *L. 30. ff. de R. J.* Libera autem debet esse facultas contrahendi matrimonium. *L. 14. C. de nupt. neq; filiusfam: invitus uxorem ducere cogitur. L. 21. ff. de R. N. B. Lutherus in scripto; Daß die Eltern die Kinder zur Ehe nicht zwingen sollen; & alibi: Es ist ein Teufflich Recht/die Kinder zur Ehe zuzwingen/da kein Herz ist im Kinde.* Matrimonia enim coacta solent tristes exitus habere.

### *Requisita Contrahentium.*

a.] *Vt sint unus mas & una foemina* ad excludendam bigamiam & Polygamiam simultaneam. *L. 1. ff. d. R. N.* has enim tam de jure Civ. hodierno, quam Saxonico sub poena capitis prohibitas docet. *Phil. lib. 1. Ecl. 50.* Et ut removeatur congressus cum brutis, item alius, quem nescire interest *L. 31. C. de Adult.* b.] *Vt sint Cives Romani pr. J. de Nupt.* quales sunt omnes liberi homines, qui in orbe Romano sunt *L. 17. ff. de stat. hom. Nov. 78. c. 5.*

c.] *Ut sint ad generandum habiles, tum (1.) ratione etatis* ut sc. sint masculi puberes *h. e. 12. annorum d. pr.* post illud tempus Virum pati posse creduntur *L. 30. ff. quand. dies leg. nec sufficit hos annos esse inceptos, sed completos jura volunt. Phil. lib. 1. Ecl. 58.* Nam matrimonium non solum

*12. annorum foemina  
virginescentes*



lūm infert conjunctionem animorum, sed etiam corporum, quæ ante pubertatis annos homini non conceditur, nisi malitia ætatem suppleat *c. 9. c. ult. X. de despons. impub.* Cur verò in masculis requiratur ætas 14; In foeminis 12. annorum, communiter hanc dant rationem; Citius pubescere foeminas, quàm mares; Salices citius crescere quàm quercus & majores vires requiri ad actionem, quàm ad passionem.

(2.) Tum ratione sanitatis & integritatis corporis, ut ne sint impotentes, quales sunt castrati *L. 14. §. 2. ff. de Manum. Vind.* De Spadonibus aliud dicendum; Hi enim rectè nuptias contrahunt *d. l. 14. §. 2. ff. de M. V.* Idem statuendum de hominibus provectæ ætatis per *L. 27. C. de nupt.* Sed ejusmodi nuptiæ sunt dissuadendæ præsertim cum juvencula; (Cessat enim in hoc matrimonio finis conjugii principalis procreatio sc. Sobolis; Et Sexagenarius de jure Civ. præsumitur inidoneus ad generandum *L. si Paterfam. 15. §. 2. ff. de Adopt. & quinquagenaria ad concipiendum L. si sterilis 21. in pr. ff. de Act. Empt.* huc quoque facit illud Lutheri, quod à *Carpz. in Jprud. Conf. lib. 2. Tit. I. n. 15.* adducitur; **Wenn ein alter Mann ein junges Weib nimmt / das ist ein heßliches Spectakel; Denn an einem alten kan keine Hoffarth noch Lust seyn / weil die Gelegenheit hinweg ist. Es ist je nichts schönes noch starckes an ihm mehr / darum ist ein alter Mann und ein junges Weib wieder die Natur / gleich und gleich paaret sich am besten zusammen.** *Luther. in Colloq. mens. sub Tit. vom Ehestande.* Denique d.) *Vt matrimonio invicem conjungi non prohibeantur h. e. ut juxta præcepta LL. coeant §. 1. ff. de Nupt.* Prohibentur autem quidam vel ob proximitatem; Vel ob delictum vel ob potestatem vel ob publicam honestatem.

Proxi-



*Proximitas est vel Cognatio vel Adfinitas. Cognatio est* conjunctio personarum ex procreatione vel lege orta; Estq; vel *secularis* vel *spiritualis*; Hac vocatur, quæ inter susceptorem & susceptam è sacro baptisate contrahitur *L.26. C. de nupt. c.1. & ult. X. de cogn. Spir. can. si quis ex uno c. 30. qv. 4.* quæ prohibitio in nostris Ecclesiis non observatur *Dn. Struv. Synt. Exerc. 29. th. 40.* *Secularis est vel naturalis vel legitima s. Civilis.* Civilis fit per adoptionem *L.4. §.2. ff. de grad. & affin. §.1. & 2. f. de nupt.* Ratione cognationis naturalis matrimonio sibi invicem jungi prohibentur *Adscendentes & Descendentes.* In linea recta n. inter eas personas, quæ in numero Parentum liberorumvè sunt, sive proximi sive ulterioris gradus sint, in infinitum non datur matrimonium *§.1. f. d. nupt. L.53. ff. d. R.N. Ordin. Eccles. Sax. Tit. von Ehe-Sachen. membr. Welchen Personen etc. & Ord. Matr. punct. 2. vers. die Personen/welche den Nahmen Vaters oder Mutters etc.* Harum enim nuptiæ dicuntur incestæ & nefariæ *L.68. ff. d. R.N.* quasi de iis dari non liceret propter summam, quæ inest, turpitudinem. Est enim inter hæc personas coitus contra omnem pudorem & in tantum abominabilis, ut plurima irrationalia animalia, eum fugiant & avertentur, test. *Imper. Just. in Nov. 12. c.1. & Gothofr. ad d. l. 53. ff. d. R.N.* Et nunquam gens quædam fuit reperta, quæ matrimonium inter Patrem & filiam approbasset, ita quidem ut omnes saniores crediderint, Adamum, si hodiè resurgeret vel ad nostra tempora usq; vixisset, non potuisset mortuâ suâ uxore Evâ aliam uxorem ducere, quoniam omnes ex illo descendimus, quamvis per infinitas & innumerabiles generationes. *Gloss. ad §.1. de Nupt. Vultej. ibid.* Hæc prohibitio etiam habet locum in illis, qui per Adoptionem Adscendentes & Descendentes sibi invicem constituuntur, licet Adoptio fuerit dissoluta *§.1. f. de Nupt. L.23. ff. de Adopt.* In linea Collaterali conjugium prohibetur inter personas, quæ se quodam respectu ut Parentes & li-



104.  
& liberi habent §. 5. *f. de Nupt.* Habet se verò instar Paren-  
tis, qui stipiti, à quo uterq; originem trahit, immediatè  
subest. Ejusmodi personæ sunt patruus & fratris filia,  
Avunculus & Sororis filia; Amita & fratris filius &c.  
§. 2. 3. & 5. *f. d. t.*

*In linea Collaterali equali* prohibentur nuptiæ in primo  
& secundo gradu consanguinitatis secundum computa-  
tionem canonicam e. g. inter fratres & sorores tam Ger-  
manos, quàm Consanguineos & Uterinos §. 2. *f. de Nupt.*  
*In linea Coll. inæquali* ad tertium usq; gradum hoc inclusè  
prohibitio matrimonii se extendit. Ita quis non potest in  
uxorem ducere patru vel Avunculi filiam aut neptem;  
Vel fœmina non potest matrimonium inire cum Patru  
vel Avunculi filio aut nepotè. In Personis illustrioribus  
in secundo gradu permittitur. *Phil. lib. 1. Ecl. 63.*

### *Affinitas.*

Est nexus Civilis duarum Cognationum; AFFINES  
sunt Viri & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ  
Cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copu-  
lantur & altera ad alterius finem accedit. *L. 4. §. 3. de Grad.*  
Hinc Cognati mariti fiunt affines uxori & contra: Cogna-  
ti uxoris fiunt affines marito; Non verò Cognati viri &  
Cognati uxoris sibi invicem sunt affines. *Pomer. ad §. 6. f. de*  
*Nupt.* licet populariter & communi loquendi usu vel po-  
tius abusu in infinitum sese Affines salutent. *Vultej. ad pr.*  
*f. de nupt. n. 50.* Estq; vel *legitima*, quæ ex legitima cogna-  
tione provenit; Vel *illegitima*, quæ ex quacunque illicita  
conjunctione ortum trahit. *Struv.*

Quoad prohibitionem matrimonii *ratione Affinitatis*  
observandæ veniunt regulæ:

B

Is



101  
*In linea recta* inter Adfines, qui sibi sunt Adscenden-  
tium & Descendentium loco non potest esse matrimo-  
nium e. gr. Inter Patrem & Privignam. §. 6. ff. de Nupt.  
Respectus iste venit ex analogia cognationis; Struv. in Jprud.  
R. G. F. Tit. de Spons. §. 8. Et qui gradus in consanguinitate,  
illi etiam in adfinitate sunt prohibiti can. de propinquis 35. qv. 2.  
omni jure hoc matrimonium est prohibitum. Jure Di-  
vino. Levit. 18. vers. 8. 15. 17. & cap. 20. vers. 11. 12. Deuteron. 27. v. 20. 23.  
1. Cor. 5. v. 1. Jure Cæsareo §. 6. & 7. ff. de Nupt. L. 8. ff. de grad. jure  
Saxon. Ordin. Matrim. punct. 2. in pr. vers. Wenn es auch  
gleich Stieff-Eltern und Stieff-Kinder seyn/sollen sich  
miteinander in Ehegelobnis nicht einlassen.

*In linea Collaterali* inter Adfines, qui sibi sunt fratrum &  
Sororum loco inter illos non potest esse matrimonium e. gr.  
non possum ducere uxorem sororem uxoris meæ, quia  
per matrimonium cum uxore mea eidem factus sum fra-  
ter L. 17. C. de nupt. Levit. 18. v. 16.

II. Propter delictum matrimonio jungi prohibentur.  
(a) Rapt a suo raptori de jure Civ. L. 1. §. 1. C. de rapt. virg. de jure Canon.  
vero licitè junguntur, modò vitium purgatum sit h. e. mu-  
lier tuto loco posita consenserit in matrimonium cap. ult.  
X. de raptor. (b) Adulter & Adultera L. 13. ff. de his, que ut indigni  
aufert. Jus Can. hoc restringit, ut procedat si adulterio ad-  
juncta fuerit nuptiarum promissio c. 2. & 5. caus. 31. quæst. 1.  
c. 6. X. de eo, qui duxit in matr. quam polluit.

III. Ob potestatem prohibitum est matrimonium  
a] inter Tutorem & pupillam; Causa est præsumtus dolus;  
Hæc enim ratione evitare vult, ne de administratione  
rationem reddere cogatur; Nisi à Patre Tutori ea sit de-  
sponsata, testamentovè destinata. L. 15. ff. de Spons. L. 7. ff. de  
Adult. L. 36. L. 59. 60. §. 5. L. 66. de R. N. L. 4. C. de Excus. Tut. & t. r.  
C. de interd. matr. int. pup. & Tut. Verùm hanc prohibitio-  
nem



nem de jure Canon. non observari testatur *Gloss. in cap. 1. caus. 30. qv. 3. Zoefius ad ff. de R. N.*

102.

(b.) *Inter Patronam ejusq; filiam cum liberto L. 3 C. de nupt. propter reverentiam tali personæ debitam, quæ reverentia interverteretur, si libertus Patronam ducat, hæc enim marito reverentiam deberet ut uxor, sed Maritus reverentiam deberet uxori ut Patronæ. Brunnem. in Comm. ad L. 3. C. de nupt. (c.) inter Præsidem Provinciæ & eam, quæ ex illa provincia nata est, causa est præsumta coactio, cum non constet, utrum hujus consensus liber fuerit Vid. L. 38. L. 57. L. 65. §. 1. de R. N.*

(d.) *Inter Senatorem cum Libertina L. 16. de R. N. Causa est violata dignitas ordinis Senatorii. Verùm hæc prohibitiones Civiles per contrarium usum & mutatâ Reip. formâ abrogatæ sunt. arg. Nov. 117. c. 6.*

IV. *Ob publicam deniq; honestatem, quæ meritò in conjunctionibus attenditur, L. 42. ff. de R. N. matrimonium contrahere prohibentur.*

1. *Pater & Sponsa filii, propter paternum affectum erga futuram nurum. 2. Filius & Sponsa Patris, propter reverentiam erga Patris Sponsam. per §. 9. f. de Nupt. 3. Maritus & filia post divortium uxoris ex alio procreata. d. §. 9. Quia turpe est uxoris suæ filiam ex priori matrimonio n. p. privignam ducere uxorem, ita quoque turpe est, ducere eam, quæ postea ex uxore nata est, cujus ratio, quia naturaliter videtur facere turpe, qui cum matre & filia cohabitât, quod æquali ratione hoc casu contingeret. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor. Fabrot.*

4. *Frater cum Sponsa fratris Phil. d. l. Ecl. 69.*

5. *Sponsus cum sorore vel matre Sponsæ defunctæ. L. 42. ff. de R.*

N. 6. *Infidelis veluti judæus, Turca, cum Christiana, vel Christianus cum infideli foemina. Beust. de matr. P. 3. c. 37. L. 6. C. de jud.*

B 2



jud. & Cælic. Deus ipse prohibet Deuteron. 7. vers. 3. & Apocal. 18. v. 4. Gehet aus von Ihr mein Volk etc. Et quomodo potest congruere charitas, si discrepet fides.

### Forma.

Forma iustarum nuptiarum est vel *Interna*, vel *Externa*. Hanc constituit copulatio & benedictio Sacerdotalis post trinam proclamationem interposita semper septimanâ integrâ ex suggestu publico. Carpz. Jprud. Conf. lib. 2. Tit. 8. def. 137. n. 6. Churf. Sächs. Ehe-Ordnung punct. 5. Von der Copulation und Hochzeiten. §. Es sollen aber die Personē/so sich in ehelichen Standt zubegeben bedacht/znvor drey Sontage nach einander öffentlich außgebothen/ und wenn keine Hindernis befunden / alsdenn eingeseget und zusammen gegeben werden. Trina hæc denunciatio sub poena arbitraria per Decis. El. Noviss. 49. omitti nequit. Phil. I. b. 1. Ecl. 6r. unde etiam iustæ nuptiæ ex Calendario Ecclesiastico aus dem Trau-Buche plenissimè probantur. *Interna* exiit se in consensu in carnem unam s. individuan vitæ consuetudinem directo tam ipsorum contrahentium quàm illorum quorum in potestate sunt h. e. *Patris & Avi paterni* per L. 30. ff. de R. J. (*Matris* enim consensus de jure Civ. non est necessarius arg. pr. J. de nupt. Consistoria tamen Saxonica etiam matris consensum in nuptiis requirunt. Schæcid. ad Tit. J. de nupt. n. 38. Ordin. Eccl. Tit. von Ehefachen §. von Ehegelöbnis ibi: Es sollen sich keine Kinder etc.)

Reqviritur ad hunc consensum ut sit 1. *Verus*. 2. *Certus* 3. *Libers*. Hinc removetur *error*, *metus*, *vis* atq; *dolus*, quia consensu nihil tam obest, quàm hæc ipsa relata per L. 116. ff. de R. Jur. *Intelligitur* autem *error*, qui occurrit circa essentialia v. gr. circa personam, cum quis contrahat cum MARIA, quam putat esse

An-



B 3

*ANNAM* arg. l. 9. ff. de Contrah. omr. c. un. caus. 29. quest. 1. c. 26. X. de Sponsal. (2.) circa castitatem, cum quis putat Sponsam esse virginem, quæ deflorata est; Quamvis verò castitas vel virginitas non sit de essentia mulieris, est tamen de essentia Virginitatis, & qui consentit in Virginem, ille utique non consentiret, si scivisset, eam virginitatem amisisse. Secundum morem Consistoriorum harum ditionum. ejusmodi nuptiæ contractæ irritæ pronunciantur; Et hæc sententia à Theologis & Jctis probata est. *Beust. P. 2. de matr. c. 34. Wesenb. in ff. de R. N. n. ult.* Etiam juri divino convenit. *Deuter. 22. vers. 21. Vid. quoq; Carpz. in fprud. Conf. lib. 2. Def. 193.*

*Metus* intelligitur, qui in hominem constantem cadit. v. g. metus culpæ patientis illatus, ut si quis fortè in lecto virginis repertus à Parentibus vel Cognatis gladio in ventrem intentato, coactus matrimonium contraxit arg. l. 7. §. 1. ff. quod met. caus. *Beust. de matr. c. 44.* Non verò reverentialis si v. gr. Filia ad evitandam Patris iram in matrimonium consentiat, qui metus matrimonium non facit nullum, nisi huic metui reverentiali minæ, vincula & verbera conjunctæ fuerint. *Schneid. ad J. d. Nupt.* alia tunc erit ratio.

*Dolus* est, quò inducitur quis ad consentiendum, qui aliàs in Contractibus dicitur causam dans Contractui & vitiat ipsò jure Contractum; quod hic intelligendum intuitu negotii principalis & personæ desponsandæ.

### *Finis.*

*Finis* nuptiarum est duplex; *Mutuam Adjutorium* & *procreatio Sobolis*; Vel dicendum est, finem esse unicum nuptiarum, *Mutuam Adjutorium*, quod in duabus consistit partibus, & quid. 1. *In mutuâ prostratione operarum.* & 2. *In Procreandis liberis*; quò assertò possumus evitare disputationem illam, quis sit finis *primarius*, quis *secundarius*, quæ maximè usu obtinet in di-

B 3

sputa-



sputatione matrimonii hominis provec̄tæ atatis, quem  
finem matrimonii habere non posse asserunt; At v. quam-  
vis totum finem procreationem sobolis scil. consequi  
non possit, poterit tamen consequi partem, n. præsta-  
tionem operarum. *Dn. D. Schleenstein Præc. quondam honor. in  
Coll. priv. ad f. de Nupt.*

### *Effectus.*

*Effectus* nuptiarum consistit in acquisitione jurium  
matrimonialium. *Wesemb. Par. ff. de R. N.* Acquiruntur il-  
la post conscensionem thori *Land R. lib. 1. Art. 45.* *Wenn  
das Braut- oder Ehe-Bette beschritten ist.* Unde  
conjux superstes à Conjuge ante conscensionem mortuò  
nihil lucratur. *Carpz. Jprud. For. Const. 19. Def. 2. Phil. lib. 1. Ecl. 61.*

### *Affinia.*

*Affinia* nuptiis sunt (I) *Concubinatus*, qui est maris & fœ-  
minæ unicæ conjunctio citra tamen affectionem maritalem *Vid.  
t. r. ff. de Concub.* (II) *Ea conjugia*, quæ in jure vocantur *vulgaria &  
injusta L. 13. ff. ad L. Ful. de Adult. L. 11. ff. de stat. hom.*

### *Contraria.*

Restat, ut etiam nuptiarum *Contraria* perlustremus:  
*Contrariantur* nuptiis modi vel *easdem contrahi impediētes*  
vel jam *contractas iterum dissolventes.* Illius generis sunt *proxi-  
mitas, delictum, potestas & publica honestas.* de quibus supr. Hujus verò  
generis est *Divortium*, quod est viri & mulieris disjunctio  
animo constituendi perpetuam dissensionem *L. 3. ff. de di-  
vort.* Unde separatio conjugum *ob sevitiam* vel *aliam ob cau-  
sam* facta à thoro & mensa *von Tisch und Bette* divorti-  
um



um non est, quippe quæ à Magistratu ad certum tempus  
 spe reconciliationis conceditur; Quò tempore elapsò co-  
 habitare iterum coguntur conjuges, *cautione* ex parte læ-  
 dentis *præstitâ de non amplius offendendo & malè tractando.* *Phil.*  
*lib.1.Ecl. 54.* Duae sunt cause, quibus separatio fit quoad vincu-  
 lum matrimoniale; Adulterium sc. & malitiosa desertio. Hisce  
 quoque annumeranda impotentia. *Carpz. fprud. Conf. lib. 2. d. 250.*  
 Ob Adulterium conjux læsus vel *Civiliter* vel *Criminaliter*  
 agit; *Actio Civilis* tendit ad vinculi matrimonialis separa-  
 tionem & dotis vel donationis nuptialis lucrum & qui-  
 dem parti innocenti ad secunda vota transire permitti-  
 tur; nocenti autem omne interdicitur matrimonium  
*Carpz. Pr. Crim. P. 2. Q. 63.* *Accusatio Criminalis* vel ab Accu-  
 satoris interpellatione vel ex officio suscepta tendit ad  
 pœnam & Adultero & Adulteræ infligendam *Vid. Struv.*  
*Synt. Exerc. 49. tit. 30.*

*Malitiosa desertio* est, quando quis à conjuge discedit &  
 diutius abest nullâ honestâ causâ coactus, sed vel *levitare,*  
 vel *impatentiâ freni conjugalis* vel aliis causis illectus, vagatur;  
 Tunc enim consuetò desertionis processu institutò & ab-  
 solutò divortium fit. *Phil. lib. 1. Eccl. 53.* hoc casu etiam parti  
 innocenti integrum est, aliam sibi quærere conditionem.  
*Beust. 2. c. 26. de Matr. Vid. Carpz. Pr. Crim. P. 2. qv. 63. M. 24.*

Contractas nuptias etiam dirimit *Mors; Eaq; Naturalis;*  
 Hæc enim omnia solvit E. & matrimoniale vinculum  
 scindit; Superstes v. conjux secundas nuptias contrahere  
 potest *t. t. C. de Sec. nupt.* modò ne intra annum luctûs pro di-  
 versa legis determinatione in viduo & vidua; hõc enim  
 casu conjux de jure Civ. fit infamis & omnia lucra quasi-  
 taq; à priore conjuge, hereditates, legata & honoraria a-  
 mittit. *L. 1. & t. t. C. de sec. nupt. L. 1. de his, qui not. infam.*

Hæc sufficiant pro instituti ratione.

*Soli Deo sit laus honor & gloria.*  
 COROL-





## COROLLARIA.

1. In Sponsam potest committi Adulterium.
2. Sponsalibus publicis posterioribꝫ priora clandestina concubitu s. copulâ carnali firmata sunt præferenda.
3. Mas viduus licitas contrahit nuptias cum foemina, quam vivente uxore carnaliter cognovit.
4. Matrimonium cum gravida, quã quis Virginem esse credebat, dissolvendum est.
5. Eunuchi ad matrimonium admitteendi non sunt.
6. Foemina Evnucho nubēs peccat.
7. Nanis & Pumilionibus matrimonia sunt dissuadenda.
8. Vir uxorem refractariam & immorigeram coercendi potestatem utiq; habet.





AMPLISSIME VIR, FAUTOR HONORANDE.

105.

**S**cribens ad Te non abs re venit in  
mentem, quod Practicorum celeberrimus  
Joh. Petr. de Ferrariis in Præfat.  
Practicæ Papiensis ex Thoma de Aquino re-  
fert: Magnam esse dementiam supervacanea  
discere in tanta temporum egestate, & ex hoc  
tempore, quod sufficere nec ad necessaria qui-  
dem potest, etiam si diligentissime custoditum  
fuerit, majorem partem in supervacua eroga-  
re. Nam experientia docet abundè, esse pluri-  
mos, qui hâc in parte hallucinentur. Cavendū  
tamen & est sedulò, ne exorbitem in modo non  
necessariorum definiendo. Obfuit enim non  
paucis in fundamenta studiorum solidius po-  
nendo, quod in juventute spreverint ea, quæ  
inter maximè necessaria haberimerentur. Se-  
cus & solidius judicasse TE, in Specimine hoc  
Academicores ipsa loquitur. Nam animum in-  
duxisti disputare materiam, quam necessitas  
& utilitas & usus maximè commendant, de  
Nuptiis nempe, seu Matrimoniali societate,  
C  
quam



quam Aristoteles in Oecon. elementum Mun-  
di & seminarium generis humani nuncupat:  
Nec omisisti indagare ea, quæ ad formam ejus,  
individuanempe vitæ consuetudinem, perti-  
nent: unde Conjuges fieri dicuntur caro una,  
quod primario ad unitatem mentis & spiritus  
trahendum est. Venit enim mulier, ut Tacitus  
de priscis Germanis nostris loquitur, laborum  
periculorumq; socia, idem in pace, idem in bel-  
lo, passura ausurave; & proinde quoq; marito  
junctos boves, paratum equum, & arma affe-  
rebat. Nec minus tamen ista consuetudo indi-  
vidua etiam ad secularium bonorum usum  
pertinet, de quo Columella in præfat. de re Ru-  
stic. apprimè differit. Nihil inquam in domo  
Conjugali apud priscos dividuum conspicieba-  
tur: nihil quod aut Maritus aut foemina pro-  
prium sui juris diceret, sed in commune habe-  
batur ab utroq;. Quos mores vetustiores cum  
divinamente & lege prorsus convenire arbi-  
tramur.

Latius



166.  
*Latius Tu VIR Clarissime, hæc ipsa es exse-  
cutus. Si licet augurari inter capedo tempo-  
ris non erit prolixa, ex qua honor in TE cum  
amore per individua vitæ consuetudinem  
jungetur, quod ut fiat feliciter, DEUM vene-  
ror. Dab. Witteb. d. 13. Cal. Mart. Anno  
M. DC. LXXXII.*

Tui Studiosissimus

JOHANNES CAROLUS NÆVIUS, D.

Sonnet.

**E**st zeigt Er frey / mein Freund / wie er in seinen Sachen  
Allzeit nach hohen Ruhm und Ehr und Preis getracht /  
Wie er die Eitelkeit der rohen Welt verlacht /  
Indem er ikund weißt / wie man soll Hochzeit machen /  
Es folgt nach seinem Wunschk jetzt Ehr auff seinen wachen.  
So lange Phoebus scheint / wird seiner sehn gedacht  
Ben unsern Helicon! Nachdem die Trauer Nacht  
Von Magdeburg vorbei / so wird ihm eh' st anlachen  
Ein keusches Jungfern-Bild / ein wolgezognes Kind /  
Dergleichen in der Welt man ikund wenig find.  
Es geb der Höchste GOTT zu beyden sein Gedenen ;  
Er segne seinen Streit bey unsern Elb-Athen /  
Und laß ihn Freudensvoll in Magdeburg eingehn /  
Daß er mit lautrer Lust kan denken an das Freyen.

Dieses setze seinem werthem Freunde / dem Hn. Respondenten aus  
wohlmeinendem Gemüthe

Andreas Barth / Jur. Utr. Lic.

C 2

Da



**D**abliß der Themis-Schwerdt mit Flammenreichen  
Strahlen /  
Wo Mund und Ausspruch sich nach Gottes Recht-  
Buch schickt /  
Und ihre Hand sich müht / zu tragen gleiche Schalen /  
So kein verfälscht Gewicht / in ihren Ausschlag /  
drückt.  
Ist dieses nun gewiß? So soll in Heyraths-Dingen  
So wohl / als sonst / mit Recht der Richter-Spruch  
geschehn;  
Wie das gelehrter Sinn / als Opfer / weiß zubringen  
Für Themis Rechts-Altar / und Jedermann kan  
sehn.  
Zeigt nicht Herr Schönberg auch / den schonder Lenz  
der Jugend  
In guten Ruff gebracht / mit was für sonderm Fleiß  
Sey zuentscheiden / und zu loben holde Tugend /  
So Eheleben schmückt? Drum ziert ihn Ruhm und  
Preis!

Eilfertig / doch Glückwünschend hinzugesetzt  
von

**M. Johan Christian Saueresigen /**  
Superintendenten in Gräffen-  
Hannichen.

So



**S**o kan **Astræa** sich mit **Venus** sein verbinden/  
 Wann Sie sich öffentlich in **Musen-Kampff** läst ein!  
 Es läst sich **Venus** sonst nicht leichtlich überwinden;  
 Jedoch wird Sie allhier noch wohl zu Frieden seyn.  
 Dis hat was sonderlichs/ **Herr Schönberg** / zu bedeuten!  
**Astræa** nemmt Ihn recht der **Rechten aedlen Sohn**.  
 Er ist bestellet schon auch bezustehn den Leuten  
 Dort in der **Jungfer-Stadt**. Was krieger Er vor Lohn?  
 Ich mein' ein **Jungfer-Bild** wird Ihn daselbst erfreuen/  
 Drum dien't die **Hochzeit** Ihm ist zum **Gelehrten Streit**.  
 Er wird vernehmen draus/ wie Er sol **Müsse streuen**/  
 Daran die **Nachwelt** sich ergeze mit der **Zeit**.

Dieses sekte seinem vor 12. Jahren liebgewesenen Zuhö-  
 rer; nunmehr aber vornehmen Freunde zu son-  
 derbahren Belieben/wiewohl in geschwinder Eyl

M. JOHANN. **Peisker** / P.L. Cæs.  
 Wittenbergischer Schul-Rector / u.n.m.

**S**o wil Er Ihn/ mein **Freund**/ ein ewig **Denckmahl** stift-  
 ten?

Damit die **Nachwelt** einst von Ihm auch wissen kan.  
 In dem Er Ihr anist zeigt durch gelehrte **Schriften**/  
 Wie Er mit höchsten **Gleiß** der **THOMAS** zugethan.  
 Ihm wird die **WAZER-SADZ** mit höchsten **Ruhm** e. heben/  
 Und unser **WZEEBENIG** vergisset seiner nicht.  
**JAMGDEBURG** wird Ihm in fu. ker **Zeit** das geben/  
 Was Er in seinem **Sinn** sich selbst von Ihr **verspricht**.  
 Sie wird die alte **Tren** und **Lieb** und **Gunst** erneuen/  
 Nach dem von Ihr nun **GD** die **Schmach** hat abgewand  
 Das Er mit höchster **Lust** kan **dencken** an das **Trenen**/  
 An das **geliebte Kind**/ das Ihm sehr wohl **bekand**.  
 Ihr wünsch Ich zu dem **Streit** des **allerhöchsten Seegen**/  
 Und wenn das **Hochzeit-Fest** wird werden **angestellt**!



So werd ich meine Schuld von neuen denn ablegen/  
Ich sey auch wo ich sey/an welchen Ort der Welt.

Dieses sagte dem Herrn Respondenten/ als seinen hoch-  
werthen Freunde/ hinzu

M. Georg Daniel Gillischer/  
SS. Theol. Cultor.

---

**N**on satis esse bonum, sine con-  
juge vivere solum  
Oraculum docet Dei.

Sentis idem doctè, *mi Sympatriota*  
colende;

Hinc disputas de Nuptiis.

Applaudo voveoq; brevi **T**e tempo-  
re Numen

Eo beet, quod disputas.

M. Johann Christian am Ende.

---

**M**adrigal.

**D**ie Hochzeit muß doch stets getrie-  
ben seyn/

Ein jeder suchet diesen Zweck/

Daß



104.

Daß Er vergnügte Hochzeit machen  
möge /  
Und nach erstandener Müh und Pein  
In dieses süsse Leben  
Sich setze ein.  
Er saget / weg!  
Weg alles / was die Welt kan geben  
Ich bin allein hierin vergnügt.  
WESKZSESER / Sein Zweck  
steht auch dahin /  
Drumb zeigt Er auch iko seinen Sinn /  
Indem Er öffentlich von Hochzeits-Sa-  
chen /  
Sich hören läst. Ich wünsche Glück  
dazu /  
Und wenns der Himmel fügt /  
So woll Er diesen Streit zu einer War-  
heit machen.

Gegenwertige Zeilen wolte dem Herrn Respondenten /  
als seinem werthgeschäkten Fremde /  
mit beyfügen

E. H. von Luckowien /  
Eqv. Misn.


De



DE Nuptiis dum disputas,  
*Germane Frater* optime,  
Patri probantur optimo  
Tua coepta non vulgaria,  
Queis jure teneor plaudere!  
JEHOVA Tædis adnuat!

Prolixiori affectu, quàm versu  
apponebat


Johann Balthasar Schönberg.













ULB Halle 3  
005 022 746



TA 0C

*[Handwritten signature]*











B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.

1682 157.

TIO JURIDICA

DE

PTIIS,

Quam auxiliante gratia

orum Ordinis consensu

ad Albim Academia

PRÆSIDIO

VIRI

atq; CONSULTISSIMI

NNIS CAROLI  
ÆVII,

Advocat, Ordinari, nec non Curia  
ax. Protonotarii &c:  
indam proponit.

CHRISTIANUS

Hönberg /

leb. Advoc. Ordin.

AUTOR

r. A.C.M.DC.LXXXII.

ode:ode:ode:ode:ode:ode:ode:ode

TEBERGÆ,

USTI BRÜNINGII.

